



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. XII. Omnem substantiam corruptibilem bonam esse, quia nisi bona esset, corrumpi non posset.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

V S V S.

Vere Deus bonorum nostrorum non eget, nihil enim & nihili fumus nos, & omnia nostra, quia mutabilia & instabilia: quibus non eget Deus immutabilis magis, quam fons rivulis, & sol nostris oculis.

C A P. XII.

Omniem substantiam corruptibilem bonam esse, quia nisi bona esset, corrumpi non posset.

1. **E**T manifestatum est mihi, quoniam bona sunt, quæ corrumpuntur; quæ neque corrumpi possent, si summa bona essent: neque nisi bona essent, corrumpi possent. Quia si summa bona essent, incorruptibilia essent: si autem nulla bona essent, quod in eis corrumperetur, non esset. *a* Nocet enim corruptio, & nisi bonum minueret, non noceret. Aut igitur nihil nocet corruptio, quod fieri non potest: aut, quod certissimum est, omnia quæ corrumpuntur, privantur bono. Si autem omni bono privabuntur, omnino non erunt. Si enim erunt, & corrumpi jam non poterunt: meliora erunt, quia incorruptibiliter permanebunt.

2. Et quid monstrosius, quam ea dicere omni bono amisso facta meliora? Ergo si omni bono privabuntur, omnino nulla erunt. Ergo quamdiu sunt, bona sunt. Ergo quæcunq; sunt, bona sunt. Malumque illud, quod quærebam, unde esset, non est substantia: quia si substantia esset, bonum esset. Aut enim esset incorruptibilis substantia, magnum

gnum utique bonum; aut substantia corruptibilis esset, quæ nisi bona esset, corrumpi non posset. Itaque vidi, & manifestatum est mihi, quia omnia bona tu fecisti, & prorsus nullæ substantiæ sunt, quas tu non fecisti. Et quoniam non æqualia omnia fecisti, ideo sunt omnia, quia singula bona sunt, & simul omnia valde bona, quoniam fecisti Deus noster omnia bona valde.

NOTÆ

a Nocet enim corruptio) supponit S. D. tanquam principium per se notum, idque sæpius alibi repetit. *Malum est corruptio, siue privatio alicujus boni, nec aliter nocet, quam privando aliquo bono, id cui nocet.* Vnde evidenter deducit, nihil corrumpi posse, nisi quod bonum est, quia corrumpi nihil aliud est, quam bono privari. Nulla ergo substantia mala est, non incorruptibilis, quia hæc magnum bonum est; non corruptibilis, quia hæc nisi bona esset, corrumpi non posset, nec mali capax esset, *quia malum non est, nisi in bono,* ut ait S. D.

V. l. de moribus
Manichæorum,
c. 7. 3. 4.
5. lib. 3.
de lib. arb.
c. 13.

Enchiridion
c. 14.

CAP. XIII.

Et si quædam quibusdam non conveniant, Deo tamen & universo nihil malum esse, Deum vero in omnibus laudandum, in celo & terra.

i. a **E**T tibi omnino non est malum; non solum tibi, *b* sed & universæ creaturæ tuæ; quia extra te non est aliquid, quod irrumpat, & corrumpat ordinem, quem posuisti ei. *c* In partibus autem ejus, quædam quibusdam, quia non conveniunt, mala putantur: & eadem ipsa conveniunt aliis, & bona sunt, & in semetipsis bona sunt. Et